

LECTORI.

Anni octo et viginti jam elapsi sunt, postquam Pharmacopoeæ Suecicæ editionem quintam in publicum emisit Regium Collegium Sanitatis. Magni per illud temporis spatium progressus in arte chemica et pharmaceutica facti sunt, qui, quo magis universæ naturæ cognitioni profuerunt, uberioraque et certiora in usum Medicinæ subsidia suppeditarunt, eo magis etiam desideratum ac necessarium reddiderunt novum Pharmacopoeæ codicem et emendatum.

His de causis, satis illis quidem gravibus atque idoneis, veniam **Sacræ Regiæ Majestatis** et petiit et impetravit Collegium, ut delectis viris, in quibus fuit Professor Lib. Baro BERZELIUS operis moderator, additique Collegæ Professores P. F. WAHLBERG, C. G. MOSANDER, C. W. H. RONANDER, M. HUSS, J. S. BILLING, atque Pharmacopolæ A. PRIPP et C. ÅKERSTRÖM, et cooptatus denique adjutor Medicinæ ac Philosophiæ Doctor N. J. BERLIN, qui consulta delectorum et placita litteris mandavit, negotium committeretur, ut Pharmacopoeæ denuo conscribendæ curam agerent, conscriptamque ad Collegium deferrent cognoscendam et percensendam.

Quod ab his viris confectum est propositumque opus, postquam primæ totius lineæ et argumenta non solum cum Societate Medicorum Suecica, sed etiam cum ceteris Medicis, quotquot

vel in Regiis Universitatibus vel in reliqua patria medendi munere funguntur, communicata sunt, eorumque tum monitis tum desideriis, qua par erat fide ac diligentia, consultum, Collegii denique iudicio ac recognitioni est subjectum et, comprobante **Sacra Regia Majestate**, jam typis expressum in lucem emittitur, ut Sexta hæc veteris in locum succedat editio Pharmacopoeæ.

Si hæc cum iis, quæ ante editæ sunt, Pharmacopoeis comparatur, facile apparet, multa vel simplicia medicamina in materia pharmaceutica, vel composita pharmaca ac præparanda, exclusa abesse, atque eorum in locum partim nova alia inserta, partim veterum et scribendorum accurati res formulas et præparandorum sollertiores vias rationesque esse inventas. Neque tamen tot tantasque res simul complecti atque perficere licuisset, nisi pharmaceutica studia adeo crevis- sent, ut arti medicæ operam, quæ major hodie et exquisitior flagitatur, possent præstare.

Collegium itaque, quum, quantum consilio, arte rerumque usu provideri potuit, codicem paravit locupletem, ubi omnia, quæcumque res tempusque postulet, pharmaca litteris consignata habeantur, sperat fore, ut justis expectationibus quum omnium omnino civium, tum imprimis Medicorum, ægris operam navantium, satisfactum summa cum fide et industria esse videatur.

DATUM STOCKHOLMIÆ CAL. JULII MDCCCXLV.

REGIUM COLLEGIUM SANITATIS.

